



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis & Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Dvodecima Post Trinitatis, Evangelivm, Marc. VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

MA
amus
rta.
mo-
eti-
onis,
ulta
uer-
suis.
npe-
lum,
i re-
. Hic
exal-
isto-
entes
rribi-
a, de-
rmini
, sed
nem,
humi-
ratio
affl-
tent-
st, o-
: apa-
OMI:

DOMI

DOMINICA DVODECIMA 64
POST TRINITATIS,
EVANGELIVM.
Marc. VII.

ET iterum exiens de finibus Ty-
ri & Sidonis, uenit ad mare Ga-
lileæ, inter medios fines Decapo-
leos, Et adducunt ei surdum, impe-
ditæ linguæ, Et deprecabantur eum,
ut imponeret illi manum, Et appre-
hendens eum de turba seorsum, mi-
sit digitos suos in aures eius, & ex-
puens tetigit linguam eius, & suspi-
ciens in cœlum, ingenuit, & ait illi :
Ephetha, quod est, adaperire, & statim
apertæ sunt aures eius, & solutum est
uinculum linguæ eius, & loquebatur
recte, Et præcepit illis, ne cui dicerent.
Quanto autem magis ille eis præcipie-
bat, tanto magis prædicabant, & supra
modum stupebant, dicentes : Bene
omnia fecit, & surdos fecit audire, &
mutos loqui.

I. Vna

DOMINICA DVODECIMA

1. Una quædam perpetua doctrina in his miraculis omnibus obseruanda est, quod testimonia sunt, quæ ostendunt Euangelium non esse commenticium, sed diuinitus traditum. 2. Monent item, quod uenerit Christus, et sunt testimonia promissionum, uidelicet, quod uere uelit Christus tollere peccatum et mortem. Quia enim tollit morbos, et excitat mortuos, etiam causam calamitatum tollet, scilicet peccatum et regnum Diaboli. 3. Item haec miracula ostendunt, hunc liberatorem habere diuinam potentiam, quia restituit naturam extinctam, quod est tantum diuina potestia. Ad hanc generalem regulam omnia miracula referantur.

SECUNDO. In his miraculis cause morborum et omnium calamitatum considerentur, quæ sunt peccatum et Tyrannis Diaboli, qui impellit infirmas mentes ad multa flagitia, et saepe corpora ex cruciat morbis, sicut cedes et similia molitur, cum sit homicida. Haec breuiter describuntur in Genesi, ubi dicitur: Serpens mordebit calcaneum. Nemo est, qui non experiatur insignem aliquem morbum, ut ostendunt calamitates et lapsus Sanctorum. ut Moysi, Aaronis, Dauidis, et aliorum. Impios uero omnino deuorat serpens, ut ostendunt horribilia exempla historie mundi.

TER

POST TRINITATIS. 65.

TERTIO. Contra hæc miracula testantur, datum esse liberatorem, qui & naturam sanabit, & belligeratur cum serpente, seruat & defendit pe-tentes auxilium contra serpentem, sicut Genesis inquit: Ipsum semen conteret caput serpentis. Is qui caput conterit, est uictor. at hostis, qui mordet calcaneum, id est, qui iacet, nec potest se erigere & attollere, uincetur. sicut serpens non potest se attollere, ita sciamus Diabolum esse uictum à Christo. Et quanquam iaculatur uenena, tamen eri-gere se non potest, & tandem à Christo conculca-bitur.

QVARTO. Affectus Christi præcipue in hoc Euangeli consideretur, ubi dicitur ingemuisse. Credamus ueros & magnos motus animi esse, qui misericordia generis humani afficitur. sicut in epistola ad Ebreos dicitur. Habemus pontificem, qui scit compati &c. Sed homines sunt ferrei, si-cut hic surdus, non statuunt uere affici Deum cu-ra nostræ salutis. Sunt igitur etiam muti, non in-uocant, nec curant præstare reliquos cultus.

QVINTO. Est ergo hic surdus & mutus, to-tius humani generis typus, & eius sanatio est imægo præcipuorum operum Christi. Mundus est sur-dus, non audit uerbum Dei, nec assentitur. ideo nec nouit, nec curat Deum. Deinde est mutus, non inuocat neque colit. Venit igitur Christus,

i ut tollat

DOMINICA DVODECIMA

ut tollat hæc mala, dat Euangelium, & ostendit ueram Dei noticiam, quam deinde sequuntur inuocatio, confessio & reliqui cultus.

SEXTO. Nec solum dat uerbum Christus, ut cæteri Prophetæ, sed ipse admoveat manus, ut teste tur se efficacem esse, & non ociosum. Talis enim liberator est, ut ipse uerè nobiscum agat, det dona potentibus, depellat Diabolum. sicut inquit Io. hannes: Christus uenit, ut destruat opera Diaboli. Sicut hæc ipsa miracula in genere testimonia sum promissionum, quod ita uerè uelit nobiscum agere, iuxta suas promissiones, sicut cum illis agit, quos liberat in his miraculis. Sed tanta est surditas humanae mentis, ut etiam sancti uix obscure hæc audiant, infirmiter assentiantur. Petamus igitur à Christo, ut & nobis aperiat aures, & os, ut credamus eum uerè affici cura nostræ salutis, uerè ingemiscere misericordia nostræ infirmitatis, & ut hæc fiducia ipsum inuocemus, & eius beneficium celebremus nostra confessione.

DOMINICA DECIMATERTIA POST TRINITATIS, EVANGELIUM, Luc. X.

ET con-